

Dasilius Imperator

Parenthes

Xenophonitis

Xenophonitis

Dionis Apollonia

Edito de Dasilius

Plotarchus

Virtute et Virtute

Synetii Opuscula

Porphyrii Opera

Hesiodi Opera

Virgilii Opera

accommodata

V. de H. H. H.

Argumenta H. H.

H. H. H.

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.

1107

1107

~~E. VI. 1.~~

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
1107

E. III. 14.



1156414979



PRO FELICI INAVGVRATIONE

HENRICI III. REGIS CHRISTIANISS.

Vota. Remis, Idib. Feb. M.D.LXXII.



ÆLORVM ciues Genij, custodia Regis
 Liligeri quibus est, & Franci credita
 regni,
 Sidite veloces in nostrum pectus ab alto,
 Præpetis haud lapsu penna, sed mentis
 amica.

Impulsa; & nostræ studio feruente salutis,
 Suggeste, afflantes vati pia vota precanti,
 HENRICO pro Rege, sacrum dum suscipit unguen,
 Atque iterum caput augusto diademate cingit.
 Antè quidem ad regnum gelida usq; vocatus ab Arcto,
 Sarmaticus plenos ubi Vistula diluit agros,
 Atque niuosa rigens propius videt arua Bootes:
 Gestarum ob rerum decus & Mauortia facta,
 Pro templis cultuque Dei, proque ipsius aris,
 Vixdum annis benè puberibus, lanugine prima
 Obscurante genas. at nunc Polluce gemello
 Regnandi cedente vicem, & super astra recepto,
 Præcipiti ab nimium raptu, sic fata tulere.
 Castor ad imperium subito reuocatus anitum,
 Arte redux forti, dubium, magis ànne sagaci,

E



*Jura det ut Francis, quàm latè Gallia triplex
Oceanum ingentem rigidas patet inter & Alpes.*

*Ergò diu solio juuet ut sedisse paterno
Successu latum optato, rebûsque secundis.*

Imprimis castè diuinum numen adoret,

Ex animòque colat supplex, precibusque fatiget,

Et cùm mane diem surgens Aurora reducet,

Et cùm Vesper agens orientia sydera condet:

Utque illi pronus se se submiserit, ultro

Subiectos quoque in officio sciat usque futuros.

Non pius externa specie, sed pectore in imo,

Diuinæ metuens sine teste medullitus iræ:

Nec leuitate animi fluitans, studiòve nouandi

Nauseet ad veteres ritus, aueâtque recentes:

Sed pressis veneranda terat vestigia plantis

Maiorum, nec latum unguem discedat ab illis,

Hoc statuens, memoriq; semel benè mente reponens,

Nec soles lucere duos, nec Relligiones

Posse duas simul esse, duo quin sint quoque Reges.

Vna fides, vnum Baptisma, sit vna necesse est

*Al. Nominis
& ratio vera
pietate col.*

+ Vnius ergo Dei ratio & lex vera colendi.

Vnum, pacis amans, almae custòsque quietis:

Triste, Duo, belli semen fomèsque cruenti.

Exemplo Hebraei satis est diuisio Regni

Funesta, & parti tandem feralis utrique.

At non Martelli virtus id mascula ferret,

Gentis Agarena qui ter centena per agros

Millia prostratos internecione cecidit,

Vna

*Vna acie,† Carus Ligerim quâ confluus auget:
 Barbarica ne quid polluta superstitionis
 Gallia susciperet, nullius Gallia quondam
 Monstri terra ferax: nunc passim fœta venenis.
 Nec Pulchri pietas ferret generosa Philippi,
 Iudaos qui lege suis è finibus omnes
 Expulit, externi ne quid contagio ritus
 Christicolæ afferret populo cum fanore damni.
 Unus Rex igitur, DEVS vnus, & omnibus vna,
 HENRICO regnante, Dei sit forma colendi.
 At penitus sacrorum adytis vt figere gressus
 Tutos, errorum pulsa caligine possit,
 Nulla ambage viam, nulla fallente salebra,
 Præstantes pietate viros, tritosque legendis
 Codicibus sacris habeat, fandique peritos,
 Qui vita exemplo, ac dicendi fulmine, & ipsum
 Et populum totum doceant, tam credere vera,
 Quàm bona sectantes facere, & mala quæque cauere:
 Præficiat Templorum illos maioribus aris
 Custodes: & præcipuas dimittat ad vrbes
 Censores morum rigidos, verique magistros.
 Plus illi tales sine sumptu & sanguine, centum
 Præcones opis attulerint, quàm mille Tribuni
 Terrificis cincti legionibus, igniuomorum
 Sedandos populorum æstus ad seditiosos,
 Subiectos & in officio sine vi retinendos.
 Fanorum ast illi reditus fructusque suorum
 Vsibus impendent sanctis duntaxat, alendis*

*Al. quâ se
 Ligeri coniun-
 git Elauer.*

*Aegris pauperibus, pueris utroque parente
 Orbatis, senibus fractis, viduisque relictis,
 Dote maritandis in paupertate puellis:
 Templorum sartis etiam tectisque locandis,
 Atque Sacerdotum vita & studiis tolerandis:
 Sic tetram inuidiam turba popularis opum vi
 Conflatam extinguunt, & laesi numinis iram:
 Cum sibi mancipio bona non possessa, suisque
 Ostendent, sed tantum utenda fruenda benignè,
 Erga erummosos inopes. Princepsque vicissim
 Sacrilegum fugiet facinus, ne quod pietati
 Olim sacratum sciet esse, Deoque dicatum,
 Audeat ad placitos usus transferre profanos.*

*Prima sit ergo illi cura hæc ante omnia, dignos
 Præfecisse aris proceres, pecuaria sanctis
 Qui regere exemplis possint, & flectere dictis,
 Atque incorruptam præscribere Religionem.*

*Proxima Iustitiæ libram æquo examine rectam
 Ponere, quæ lancem nimium propendet in illam,
 Quæ plus gratiæ & infamis plus accipit auri:
 Ut iam non dicenda sit alea iudiciorum,
 Sed vendax potius caupona, & turpe macellum.
 Parcite, nil ad vos sancti querimonia Patres,
 Quos apud incorrupta lubens Astræa moratur.
 Si numerus partem interdum vincit meliorem,
 Sordibus illorum virtus mage vestra nitescit.*

*Huius origo mali est, posita quod iam auctio mensa
 Fit, qua iuridici vanum exponuntur honores,*

Et bene

Et benè nummati imberbes trudentur ad illos,
 Tam rerum atque fori ignari, quàm iuris & equi:
 Sape & obærat, atque alienæ fœnore capsæ
 Pascentes, nummos propè vendere iure videntur.
 Non igitur pretio addicatur, quod gravitati
 Morum debetur iuris legumque perita,
 Longo usu rerum, & matura ætate probata.
 Quod sapiens, verique colens, & concutientis
 Hostis auaritiæ penitus, metuensque Dei sit.
 Grande nefas, vendi vel emi, cacoq; favori
 Concedi, quod nec petitur benè, sed mage digno
 Vtrò præstari decet, inuitoque iuberi.
 Scilicet omni odio atque omni spoliatus amore,
 Ut de fortunis, vita famæque aliorum
 Cognoscens, rigida castiget lege nocentes,
 Vindicet oppressum tenuem à maiore superbo,
 Pupillo & viduæ citò, non secus atque potenti,
 Ius dicat, miseros amet extricare clientes,
 Causarum pedicis & retibus illaqueatos,
 Fallacesque tabernæ operas multare forensis,
 Ut Themidis sanctæ procul ambitione sacerdos,
 Cui spes æterna sit pro mercede salutis,
 Partus honos virtute, & mens sibi conscia recti,
 Undique non fœdè congesta pecunia, raptis
 Muneribus, qua vix potiatur tertius heres.

Scilicet hoc voluit sapiens pictura docere
 Urbis Agenoreæ, stabant ubi pro puteali
 Effigies mutila geminas sine vulnere palmas,

Canitie menti promissa, habituq; senili,
Velata densis oculos & tempora vittis.

Nec se continuò Dominum gerat, imperiūve
Arroget in quemquam extra iudiciale tribunal,
Præcipiti leuitate tumens: verū putealis
Cancellis se contineat, vano sine fastu,
Iuris dicundi Domino mandante minister.

Ambitus ergo omnis, sitis & venalis habendi,
Iudiciis procul, & sanctis procul absit ab aris.

Tertia regali sub pila struenda corona,
Militiæ longè est deprauatissimus ordo,
Quam meus ut Princeps cura sapiente reducat
Robur ad antiquum, & priscum, velut antè, decorem,
Secum utinam tacitus voluat sæpe atque reuoluat,
Regem inter verum, ac dirum hoc distare Tyrannum:

Ille suis benè sit subiectis curat, eosque
Militiæ atque domi discrimine seruat ab omni,
Indulgens pater ut proprio de semine natos:
Ac veluti cæli demissum ex arce vicissim
Obseruant illi numen, modò non & adorant,
Communemque vno patriæ Patrem ore salutant,
Nestoris illi annos atque omnia fausta precantur.

Iste sibi violens iucunda & commoda soli
Cuncta rapit, præcèpsque amente libidine fertur:
Quod libet id sibi vult in quosque licere, voluntas
Pro iure ac ratione illi est, & auara libido:
Cætera securus de conditione suorum,
Quos ut oves pastor non tondit, & vbera mulget,

Sed

Sed deglubit atrox, corioque ad viscera nudat.
 Hinc odium, hinc exspes & coniuratio, cum plebs
 Rustica & urbana assiduus exhausta rapinis,
 Militéque externo partim, partimque tribule
 Arrosa (auditu lachrymabile) ad usque medullas,
 Currit ad arma, & læsa nimis patientia, tandem
 Fit furor, inuoluens torrenti cuncta ruina.
 Aut cum uxoribus ac pueris flens, & lare toto,
 Finibus excedit patrius migrare coacta,
 Finitimásque implens probrosis questibus vrbes,
 Læstrygonum appellat terras, Cyclopicaque arua,
 Illachrymans sæui regnum crudele Tyranni:
 Vicini arrectis audita hæc crinibus horrent,
 Et talem redigi potius quàm sub ditionem
 Ultima quaque pati, statuuntque occumbere morti.
 Oderit hoc meus ut Princeps Stryge peius & Orco,
 Muneribus nummisque suis moderatiùs uti
 Mature consuescat, egens ne aliena capeßsat,
 Et rapiat tenui, locupleti quod det auaro,
 Lenoni vel scorto, profusove nepoti:
 In vanos vel quod petulanter prodigat usus.
 Et quod Alexandro referunt immane bibenti
 Suggestum, meminisset uti potare cruorem
 Terræ, aurum si quando effundere fortè lubebit,
 Succurrat, misera ex sudore & sanguine plebis
 Hoc manare, suum genium fraudantis acerbè,
 Sufficere ut possit crescentibus usque tributis.
 Ærumnas igitur populi miseratus egentis,

*Sumptibus abstineat nimis, & frena voraci
Luxuriæ imponens, equitum peditumque suorum
Militiæ priscum post longa obliuia morem
Restituat, ciues ne deprædentur ut hostes.*

*Hostili ex præda fortes ditescere iustum est,
Non rapto infami, & spoliis inopum sociorum.
Contenti ergo sua uiuant stipe ritè soluta,
Vertentes referet quoties noua Luna Kalendas:
Menstrua ni fuerint numerata viatica, rapto
Viuerè, diripere & ciues impune iubentur:
Nec disciplinam castrensi more tueri
Fas: quippe armis cuncta licent, cùm iusta negantur.
At peccare nefas, pretium aut pendere solutis.
Nec præfecturæ tironi, ut sæpe, nouello,
Æquali aut lepido iactabundòve Thrasoni
Mandentur, sed setosis potiùs veteranis
Multa duratis pugna, multisque periclis.
Attamen ante sagax, bellorum, si pote, causas
Omnes declinet, nullas exsuscitet ultro:
Sed paci, quæ nil habitura sit insidiarum
Propensus semper studeat, ferat arma coactus.*

*Pace suis Rex omnibus imperat absque labore,
Legibus & parere iubet, bello dominatu
Militis externi premitur: dein multa suorum
Dissimulare etiam inuito peccata necesse est,
Et grauibus curis, angustoque ære laborat.
Dira lues Regnis, fisci regalis egestas,
In medio cursu quæ res plerunque secundas*

Deferere

Deserere inuitos cogit, fœdèque pacisci,
Vectigalibus aut miseros euertere ciues.

Cui noxa Princeps sapienter vt obuius antè
Occurrat, fidei commissa pecunia quorum est
Publica, Quaestores obseruet sedulus omnes,
Atque in eos rigido conquiri examine mandet.

Custodes ipsos fisci, custodis egere,
Atque peculatus multos liquidò manifestos
Comperiet, fretos suffragatoribus aula

Furtorum in partem ascitis, fœdève receptis:

Sicut Alexandri sententia nota Seueri

Testatur, memori dignissima pectore condi:

Qui multum furatus erit, dederitque pusillum,

Effugiet saluus, causâque euadet inultus.

Scilicet est ea regalis natura moneta,

Uncis vt manibus sit furum obnoxia semper.

Sed quoniam hac populi propè totus hirudine sanguis

Sugitur, hoc fures grauitè punire decebit,

Et suffragantes turpi multare repulsa.

Verùm seu placida pacis, seu tempore belli,

In medio cali qualis Sol aureus orbe

Illustrat totum diffuso lumine mundum,

Motu & viuifico rebus dans esse calore:

Quale caput reliquum summo de vertice corpus

Imperio regit, & partes diffundit in omnes

Per fibras tenues animantis spiritus auras,

Vim sensus fundens membris, robúrque mouendi:

Talis Rex solio subiectos spectat ab alto,

*Mutuūm & ipse etiam circumspectatur ab illis,
Inspirans desiderium mores imitandi
Principis, exemplo vitæ ad se cuncta trahentis.*

Qualis enim propè Rex, & talis tota cohors est:

al. studiisque
vigentibus
ijsdem.

Tales sunt procures, † illūmque referre laborant:

*Nobilitas illos sequitur: subit ultimus ordo,
Infima plebs, quæ sumpta ab eis contagia deinceps
Virtutis vitilve per oppida singula spargit.*

*Hac deriuatur virtus vitiūmque scatebra,
Et sensim ad totum permanat denique regnum.*

*O meus ergo Rex faxit Deus optimus, ut sit
Summarum specie virtutum præditus omni.*

Magnanimus, fortis, sapiens & relligiosus,

Munificus, largus, clemens & iustus in omnes,

Ira crudelis, cecæque libidinis expers:

Rebus in aduersis constans, æquūque secundis:

Ipse suis ut sit vitæ lex viua regenda,

Infectam vitij & purget turpibus aulam,

Nequitia ne sit, lasciui & ludus amoris,

Gurges auaritiæ, luxūque præalta vorago,

Alea & incassum iurandi fæda magistra:

Ambitus immanis, meritoria pænè taberna,

In qua sacra profana palàm vanalia prostent.

Ad frugum numerum ingentem redigat comitatum,

Femineosque greges, & equos, & inutile vulgus,

Qui male sumptu onerant Regem, exsuguntq; petendo,

Et spoliant miseros prouisis fructibus agros.

Res agat ipse suas, aliis non mandet agendas,

Ac si

*Ac si oculis videat tantum, auribus aut alienis,
 Audiat in scena: ut qui conducente chorago
 Ridiculè Regis sceptro ac diademate ficto,
 Personam gerit, & longæ per pulpita vestis
 Syrma trahens loquitur sublimia, cum sit egeno
 Patre satus, fortuna humili, vagus ac tenui re.*

*Sed tantæ moli quoniam malè sufficit unus,
 Vni nec dat cuncta Deus, sibi deligat opto
 Ex omni procerum bis denos ordine Patres,
 Declinè iam atate viros, rebûsque gerendis
 Longo usu attritos, vicinas qui regiones
 Lustrarunt oculis, & Musis addiderint res,
 Imprimisque Deum vera pietate timentes,
 Et patriæ ex animo regniq[ue] & Regis amantes.
 Ad quos momenti quidquid paulò grauioris
 Nascetur referat, cunctorum & sensa requirat:
 Atque inconsulto sibi nil putet aggrediendum,
 Consilij haud multa cûsum incude atque recusum.
 Equibus vnum aliquem modio salis antè probatum
 Dimidium se habeat: quo cum, vt secum, omnia tutò
 Posse loqui fidat, ludòsque & seria dicat.*

*Regis opus, munûsque viri est, in rebus agendis
 Versari assiduè vigilem, clauumque tenere,
 Dicere ius in pace, bonas & condere leges,
 Mores instaurare, in bello fortiter hostem
 Vlcisci externum, latè defendere fines,
 Debellare suos, armisque domare rebelles.
 Segnitie non degeneri, neque inertibus horis,*

Deliciis^{is}que fluentem artus mollire viriles,
 Obscanis virides nec soluere amoribus annos,
 Corporis aduersum nervis, animæque saluti,
 Imprimis^{is}que bonæ Regum exitiabile fama.
 Consimilem ob culpam regno est exutus, & omni
 Chilpericus quondam vitæ priuatus honore:
 Primo etsi clarum traheret genus à Pharamundo.
 Constatit hæc eadem grauius socordia Quinto
 Ludouico, posuit verum cui ignauia nomen.
 Nam cessator, iners, vitam quoque perdidit ipsam
 Cum Regni solio: anno Rex non amplius vno,
 Stemma licet Magni flueret de sanguine CARLI.

Rex ergo HENRICVS sit re, non nomine tantum:
 Supplicibus faciles aditus concedat ubique,
 Porrectosque loco accipiat quocunque libellos:
 Et placida mæstas afflictorum aure querelas
 Audiat, auditosque breui potis ipse resoluat
 Absque mora, aut aliis dilatis expediendos
 Mander, clementi tactus præcordia motu,
 Ne mærore animi, multis & sumptibus aulam
 Sectantes, longa confecti tabe fatiscant.

Rumores dubios, nulloque auctore susurros
 Negligat, & securus eis nil commoueatur:
 Sed magni certos actores criminis, in re
 Præsertim graui, ubi sua laus est suspitioni,
 Sedulus auscultet, nullo inter tempore missio:
 Credulum oportet enim, aut certè non dedecet esse,
 Imperij pro Maiestate, suæque salute.

Nes

Nec quæ momenti obtulerint se vespere magni
 Seria, in Auroram regerat dilata sequentem :
 Quod fuit Ismeni quondam exitiale Tyranno,
 Atque aliis multis : Verum omnes antè latebras
 Excutiat secum tacitus, penitusque reuoluat
 Num capitali odio, aut animi liuore maligno,
 An ne fame, & lucri scabiosa spe faciendi,
 Impulsi accusent : utcunque reis tamen usque
 Alterutram seruet iudex absentibus aurem.

Nec delatoris grauitas aut gratia quenquam
 Damnet inauditum, aut præiudicium imprimat imo
 Pectore, vix ullo vitæ debile tractu:

Quin satius putet esse decem seruare nocentes,
 Precipiti quam ira vnum infontem perdere solum:
 Indictæque cadat nemo sine iudice causa.

Sectores verò specie qui criminis in ius
 Pollentes opibus rapiunt ciues, & eorum
 Fortunis inbiant, seducto à Rege petentes
 Ut fisco ob scelus addictos multam ve merentes,
 Humani generis pestes absterreat aula,
 Diuinos, & qui magicis ex artibus hausta
 Impia ventose vendunt mendacia turbae :
 Et qui affigentes fatum surgentibus astris
 Jampridem illudunt nobis impune quotannis,
 Mentiri audentes gyro quid quôque diurno
 Stellarum iussu veniens nouus afferet annus :
 Defectus nisi qui Solis Lunæque notabunt,
 Auersis quoties à Phæbo cornibus ibit,

Et quoties versis ad eum rediuiua redibit:
 Occasus aut qui signabunt siderum, & ortus,
 In Medicorum usus, nautarum aut agricolarum:
 Extorres toto iubeat discedere regno.

Libera sint cunctis toto commercia Regno,
 Nec quisquam ingressu illius excludatur, & usu:
 Non adeo tamen externi popularibus ut sint
 Aequales: nec enim sacris altaribus hospes
 Praeficietur, inops patrij sermonis, honestè
 Iuridicum ve feret, licet haud indignus, honorem.

Quippe animos adeo nihil ulcerat indigenarum,
 Debita quàm Princeps cum pramia ciuibz aufert,
 Dedecus & iungens damno, confert alienis.

Anne fidem quàm det videat multumque diuque:
 At semel adstrictam iurando fallere, summum
 Esse putet scelus: & sanctè pacta omnia seruet.
 Spem pretio nec emat, benefacta nec ulla relinquat,
 Non ampla mercede sciens & honore reposita.

Munera non paucis ingentia, sed moderata
 Det multis: quemq; & meritorum laudibus ornet
 Ore suo, nulloque intercessore sequestro,
 Qui carò vendat fumos, & gratiam iniquè
 Ad se auertat, qua debetur tota merenti.
 Diuitiis adeo nec honoribus augeat ullos,
 Ut formidet eos, aut diminuisse laboret.

Cis luxum ornatu nitido, cultuq; virili,
 Congressu facili, comi sermone hilarique,
 Maiestate tamen Regis super omnia salua:
 Contemptum bonitas ut ne nimis obuia gignat,

Aur

Aut grauitas odium nimis imperiosa faceſſat.

Sed deriſoris famam ne captet acuti,

Dentatis ludens ſalibus, riſû ve ſoluto:

Plus etenim ingenuus ſanna plerumque dicaci

Interiùs dolet, exerto quàm leditur enſe.

Nec ſtrepitent menſæ ſcurrantibus & paraſitis

Laſciuiſ ve iocis, ſed tutis experiundo

Multa diùque viris, & doctis plura legendo,

Muſarum charis & circudentur alumniſ.

Poſtremò uxorem ducat, cui gratia formæ

Certet, honor vitæ ſed vincat virumque pudicæ.

Mutuus amborum præcordia vt ignis adurat,

Quæ neque canitiæ tepeant, face nec peregrina

Ardeſcant unquam, aut omnino aliunde caleſcant.

Pignoribus ſed amor natiſ accreſcat utrinque:

Vnde propagatos quarta ſatione nepotes

Longæui aſpiciant numeroſa prole beati,

Qui partos referant longinquo ex hoſte triumphos:

Ad metam extremæ donec progreſſa ſeneſcæ,

Vita immortalī claudatur ſera trophæo,

Cum CHRISTO æternū ſtellanti vt regnet Olympo.

HÆC vota atque iſtiſ quaſo potiora lubentes

Illimes animi, noſtræ nil faciſ habentes,

Deferte ante thronum ſacro fulgore micantem

Artificiſ rerum, vitæ letique potentis,

Eſſe rata vt inbeat, ſolôque ea velle ſecundet.

FINIS.

